

Pr. 5.

VENTURI.

De mellis origine et
usu.



5

Reg 4° P. 10

284

BRILL

DISCHER

HTCA

U/Bc LEG 4-1 n°284

UVA. BHSC LIBRARY



1>0 0 0 0 2 7 5 9 0 8

VVA. BHSC. LEG. 04-1 n° 0284

DE
M E L L I S
ORIGINE, ET USU
DISSESTITO
Historico-Medica
AUCTORE
ALBERTO VENTURI
AVIENSI
Philosophiae, & Medicinae Doctore.

VENETIIS Anno MDCCLXIII.
Typis Sebastiani Coleti.
SUPERIORUM PERMISSU.

UVIA. BHSC. LEG. 04-1 n° 0284



D E
M E L L I S
O R I G I N E , E T A S A
D I S S E R T A T I O
H i p o c r i s - M e d i c s
M U C T O R E
A L B E R T O A E N T U R I
A V I E N S I
T P M y l o g o p i s , Q M y l i c i n a D o g o s .



A E N T U R I S A M P O M D C C L X I I I .
T A b i s S e p s i s i s i C o f e t i .
Z U T E R R I O R U M F E R M I S S U .

REVERENDO D. FRANCISCO,
Illusterrimo Domino
 PETRO VENTURI
 ALBERTUS NEPOS S. P. D.

ME tanquam patriæ immemorem,
 quasi vero vestrum omnino ob-
 litus fuisset, non amplius objurgabis.
 Nam ego ingrati animi crimen semper
 horrui. Enī igitur longioris moræ æqua
 causa. Evidem, quantum potui, ne
 legentes tædio afficiantur, brevitati stu-
 dii, quemlibet delectare, & persuadere
 curavi, ne quis adhuc de Apibus, &
 Melle demisse sentiat, immo ut quis-
 que divini muneris ope, tum præsen-
 tem sanitatem ad longum tempus con-
 servet, tum amissam jucunde recupe-
 ret. Alii, pusillanimi quidem, & sibi
 tantum nati, in perpetuum silere decre-

A 2 vis-

vissent; me vero (quidquid in poste-
rum sit futurum) hanc ipsam Differ-
tationem, quam vobis, amantissimi Pa-
trui, jure dico, quamque sapientissi-
mus olim meus praeceptor luce dignam
putavit, pro communi omnium homi-
num utilitate, in lucem emisisse nun-
quam pœnitabit.



DE MELLE

DISSERTATIO.

Circa Mellis originem variæ sententiæ sunt. Veteres a recentioribus omnino dissentunt. Videamus igitur, utrum Mel herbarum, plantarumque floribus adventitium sit, an vero ipsis ingenitum, an rudes particulas in Mel vertendas ab immensis floribus Apes decerpant. Galenus (1) nec succum, nec fructum, nec plantarum partem esse Mel, sed ab aere prorsus venire putavit, narravitque, agricolas, cum æstivo tempore super arborum frondes Mellis copiam invenirent, ludo cantilenam hujusmodi cecinisse: Jupiter Melle pluit. Proinde, sequitur ille, constat materiam, ex qua Mel generatur, rori esse congenerem; eo tamen discrimine, quod ejusmodi roris species præ vulgari raro decidat.

Vir-

(1) Lib. III. Facultat. alimenti.

Virgilius Galeni sententiæ favens, eleganter cecinit (1):

Protinus aerii Mellis cœlestia dona
Exequar

Hæc præclare vertit doctissimus Annibal Carus:

Dixò continuando anco del Mele.

Dolce, che l'aria stilla, i don celesti.

Idem confirmat Plinius (2): Mel, inquit, ab aere venit, & potissimum in ortu syderum, & canicularib[us] præsertim diebus generatur, non omnino ante ortum Virgiliorum, sed mane nascente die. Ideo prima aurora arborum frondes ita Melle irroratae olim inveniebantur, ut sub diutunc degentes, quaquaversum inunctas Melle vestes, ac tenaces capillos sentirent. Præterea ipse dixit, Mel suapte natura purum, & liquidum esse, sed vaporibus e terra erumpentibus, nec non vegetabilibus, e quibus illud Apes exsugunt, non parum alterari; adhuc tamen cœlestis naturæ suavitatem redolere. Galeno tamen prorsus non hæsit Plinius, sed ipse aeris atmosphærām prætergressus, *Mel Celi su-*

do-

(1) Initio Georgicon Lib. iv.

(2) Cap. xii. Lib. xi. (3)

DISSERTATIO.

7

dorem , sive nonnullorum syderum salivam
esse opinatus est ; idcirco illi contigit ,
quod plerisque , qui nimis audentes si-
ctis hypothesis se se irridendos exhibuerunt ; nam primaria rerum principia
caliginosa nocte premit Deus . Utcum-
que vero se res habeat , quidquid e Cœ-
lo roris forma cadit , sive illud rude ,
sive perfectum illud sit , id Melli nihil
tribuere equidem non assererem , cum re-
vera probare non possem ; veritati tamen
consentaneum est , Apes ex herbis , & plan-
tis potissimum , sed non omnino rudem
materiam excerpere , tamque deglutire ,
& tandem in perfectum Mel commuta-
rari emittere , quod herbæ , sive plantæ ,
cujus floribus Apes magis delectatæ fue-
rint , adhuc qualitatem retinet . Ideo ama-
rissimum est illud Mel , quod in Sardinia
colligitur , quoniam Apes ex absynthii flo-
ribus materiam edicunt . Reaumurius ce-
leberrimus Philosophus Academiæ Regiæ
Parisiensis docuit , ex florum succo dulci ,
& ipsi Melli aliquantulum simili , ab Api-
bus operariis Mel colligi , sed ipsi , ut in
verum Mel abeat , insignem alterationem ,
quamvis non tantam , ac cera subit , sub-
eundam esse . Hujus rei ratio a supracita-

C19V

ti

ti viri experimentis , & observationibus facile deducitur , qui Apes domi colebat , alebatque , ut solo sacchari syrupo ad id parato vescerentur ; ipsæ tamen invitæ solo saccharo per aliquod temporis spatium se se nutrierunt , quo elapsò , disruptisque alvearibus , Mel repertum fuit , aliquid quidem sacchari sapiens , quod tamen erat verum Mel . Revera enim non illud simpliciter transferunt , sed ejusdem materiam , vel a floribus , vel ab alio quocumque excerptam devorant , & in ingluvie quadam servant , in qua certam subeundo alterationem , tandem in verum Mel convertitur , quod in tria tempora dividitur . Plinius anthinum illud vocat , quod Apes a floribus vere colligunt , a græco nomine ἄνθος , quod significat flos , & illud omnium optimum censetur ; illud vero , quod æstate conficiunt , autumnali melius judicatur . Quæritur , utrum Melle crudo , an vero despumato uti melius sit . Mel crudum , inquit Dioscorides , *inflat alvum , & tussim proritat* , propterea despumati usus aptior est . A Serapione idem confirmatur : Mel , inquit , cuius spuma non est ablata , tussim facit , & ventrem laxat ; idcirco despumato Melle uti oportet . Mo-
vere

DISSERTATIO.

9

vere tamen alvum solius crudi Mellis peculiarem nequaquam effectum esse mihi monendum superest, quoniam quocumque Melle vi leniter purgativa jam prædicto idem præstatur. Mel, quod sensim e favis liquidum exstillat, cum suapte natura omnino purum sit, depurari non indiget. Ejus mentionem fecit Gentilis; nam inquit: *Mel, cum est purum, non indiget despumari, despumari autem expostulat ipsius impuritas.* Ob negligentiam rusticorum hominum, ut revera puto, Mel despumandi usus invaluit. Nam ipsi, sive id fiat, eo quod Apium stimulos metuant, quia sulphure omnes omnino necare non curant, sive potius, ut totius vendendæ massæ pondus increscat, cum favis innumeræ Apes, inveterata jam consuetudine, contundunt, & in porosum postea linteum universam massam injiciunt, ac Mel inde exstillans *Vergine* appellant: immerito tamen, cum ea contusione effusos earum succos, & alias exilissimas instar pollinis particulas secum transferat. Omni igitur diligentia curandum est, ut, præclausis bene omnibus ostiis, subaccensi sulphuris ope universalæ Apes intereant, nec prius removenda manus, quam cadere illæ omnino

B cessa-

cessaverint, & postea inversis alvearibus, si quæ in cereis cellulis mortuæ jacent, diligentissime extrahendæ sunt, ut purissimum, & optimum Mel colligatur, quod quidem despumari minime indigebit. Despumatum quocumque Mel quocunque suæ speciei crudo Melle calidius est, nec ejus liquiditatem amittit, quamvis sumum sæviat frigus; idcirco frigido autumno, & hyeme eo uti necesse est. Præterea Mel crudum, cum plurimum aquæ igne minime evaporatæ contineat, summo ita frigore condensatur, ut ejus omnem omnino liquiditatem perdat, & consolidescat, cumque minus calefaciat, idcirco vere, & æstate, illo uti oportet. Veteres Medicæ Mellæ crudo quædam electuaria conferunt, quia ejus se se extricantes flatus in ventriculo mixtis simplicibus ad agendum vim addere posse putarunt; injuria tamen, dummodo suæ naturæ sit, idest minime adulteratum, injuria, inquam, Mel crudum flatulentiarum accusatur. Nam quæ flatus gignunt, humida, & frigida esse solent. Mellis species tot, tantæque sunt, ut a singulis recensendis merito abstineam, ne in levibus tempus amittam; nonnullas tamen species sapientes viri com-

me-

DISSERTATIO.

11

memorarunt, quasi vero in quibusdam tan-
tum locis Mel optimum, in aliis minus
optimum a divinis Apibus conficiatur.
E veteribus Dioscorides Mel Atticum aliis
omnibus prætulit, atque etiam Mel Hy-
blæum laudavit, cuius meminit Martia-
lis. (1).

Mella jubes Hybla tibi, vel Hymettia nasci.
Horatius Mellis ex Insulis Fortunatis hoc
carmine meminit.

Mella cava manant ex ilice, montibus altis.
Valerius Flaccus boni Mellis Torinorum
Indiæ mentionem fecit. Marcus Varro Si-
culum supra omnia extulit; nam inquit:
Siculum fert palmam, quod tibi thymum bo-
num, & frequens. Nostris temporibus His-
panicum, & Narbonense, quæ colore al-
bissimo sunt, omnium optima putantur;
ego tamen nonnullorum pace dicā, quasi
insipientes optimum optimo prætulisse, ac
si inter omnia optima inferius reperiretur.
Nam divinarum Apum Mel, quodcumque
illud sit, adeo optimum est, ut supra se
majorem nunquam admiserit perfectionem,
dummodo exposito jam modo, purissi-
mum colligatur, dummodo recenti uta-

(1) Lib. xi. Epigr. 43.

mur, & peculiaribus climatis limitibus
peculiaris ipsius usus decernatur. Ideo in
planicie degentes confecto ibi Melle utan-
tur, & incolis montium relinquant mon-
tanum. Nam cuicunque illud prædiligen-
dum est, quod calori, aeri, herbis, plan-
tarum fructibus, & aquis propiora affini-
tate principia continet, quibus natura a
primis annis jam assuevit. Ne igitur vel-
uti quadam amentia redarguar, Mel no-
stris usibus destinatum, efficacius nimi-
rum, nec minoris vendendum, ego
nunquam Hispanico postponam, quod, si
forte optatos non præstiterit effectus, mi-
nime inculpandum est, nec deroganda di-
vinis Apibus gloria, tanto labore parta,
sed in profanum vulgus, & in eos, qui
præcipiti occasione abutuntur, tota culpa
conferenda est. Signa igitur tradenda sunt,
ut perfectum Mel cognoscatur. Dicam
pace eorum, qui albo colori multum tri-
buunt, ex eo potissimum signum non esse
desumendum; nam ille interdum abest,
salva Mellis virtute, quemadmodum Mel
optimum flavo, subrubro colore præditum
invenitur; veteres tamen, qui in res crea-
tas impressisse Deum quædam signa opi-
nabantur, ut earum virtus innotesceret;

in

DISSERTATIO.

13

in gonorrhœam flavam flavo Melle usi
fuissent. Si nobis fragrantiam Mellis ol-
factu distinguere datum esset, quemadmo-
dum innumerabilia insecta subtilissimis al-
lecta effluviis percipiunt, ad distinguen-
dum Mel optimum, satis, superque ha-
beremus. Sed quænam turbinata ossa in
illis demonstrabuntur? Etiam hujus phæ-
nomeni invisibilem causam Anatomicis cor-
roborandam fide relinquam, & potissimum
signis enumerandis me expediam. Mel igi-
tur nostri climatis optimum maxima dul-
cedine gustus organum afficit, aliquantis-
per subamarum est, grave, diaphanum,
& si frigido in loco collocetur, in ejus
superficie instar milii granula efflorescent,
tactum digitis instar visci hærebit, & quo
iners gutta cadet, ibi angustum tenebit
locum, & si cucurrit alio, cito patebit
fraus. Verum, si rusticis hominibus inco-
gnita Mellis præstantia, & usus signifi-
centur, non solum ipsi Mel non viola-
bunt, sed veluti sacrum Jovis nectar ve-
nerabuntur, & libentius Apibus, quam
ingrato colendo solo operam dabunt, ut
se multiplantes uberiorius mellifacent. A-
ristomachum Solensem sedulam Apibus cu-
ram dedisse legimus, nimirum spatio octo-

tri-

triginta annorum ; neque mirum id sane
videtur , quoniam Apes antiquis temporis
bus , non tanquam materiales prorsus ma-
chinulæ se se moventes , sed tanquam di-
vinæ mentis particulæ maximo in honore
habebantur . Idecirco cecinit Virgilius . (1) .

Esse apibus partem divinæ mentis , &
haustus .

Ætherios dixere .

Hæc egregie vertit inclytus Annibal Carus .

Credetter molti dotti ingegni , l' Apri

Participar della divina mente

E di celeste nutritivo spirto .

Si nostris quoque temporibus magna de-
Apibus opinio vigeret , aut saltem edocti
homines experiri curarent , quantas vires
habeat præstantissimum Mel , ipsi tanta
damnandi ignavia optima Virgilii præ-
cepta minime negligerent , sed strenue in-
euntes curam , divinis postea muneribus
cumulate compensarentur . Nam ipsæ ab
innumerabilibus formicis , quæ homines de-
pauperare sedulo labore contendunt , ipsæ ,
inquam , more diversæ locupletare homi-
nes student , adeoque fervet opus , ut non
nullæ per dura saxa sæpe errando atterant
alas ,

(1) Georgicon Lib. iv.

DISSERTATIO.

15

alas , nimioque pondere pressæ pulchra
morte interficiantur . Supracitato loco ele-
ganter cecinit Virgilius .

Sæpe etiam duris errando in cotibus ,
alas

Attrivere , ultiroque animam sub fasce
dedere .

Tantus amor florum , & generandi
gloria Mellis .

Eleganti modo vertit supracitatus vir :

*Spesso per aspri , e duri sassi errando
Consumar l' ali , e vi lasciar le penne ;
E più talor , che sotto il grave peso
Abbandonaro ancor la propria vita .*

*Tanto de i fior desio , tant' è la gloria
Ch' an di comporre il Mel soave , e puro .*

Nunc vero ad usum veniamus . Rite om-
nibus consideratis , in se omnia Mel ha-
bere dicendum est , ut in venereum virus
cunctis omnino indicationibus satisfiat .
Nam quemadmodum frigida est venerei
morbi causa (veteres enim omnes morbos ,
qui febrim immediate non afferunt , a fri-
gida causa oriri docuerunt) , ita huic sua
calefaciendi virtute opponitur Mel , & sa-
ne , ne ignis igni perperam adjiciatur
inquit Galenus (1) : Mel in corporibus

ca-

(1) De Facul. Nat. Cap. 18, lib. 2.

calidis cito mutatur , & bilescit , atque amarum efficitur , ut etiam vetustate (1) . Cum autem calida temperamenta ob frigidam venerei morbi causam a crasi sua deflectant , idcirco etiam Mellis usus omni jure indicatur . Anno millesimo quadrageentesimo nonagesimo tertio a Christo nato ortus est is morbus , cum Neapolim obsideret Carolus VIII. Gallorum Rex . Ex insignis enim cuiusdam scorti dira impuritate ea libidinis labes in Gallorum exercitum irrepit . Hinc Galli , qui nondum ejusmodi morbum noverant , merito Neapolitanum ; Neapolitani vero , qui illum e Galloru[m] exercitu contraxerant , Gallicum vocarunt . Verisimile interim videtur , ejusmodi morbum Hispanos ex India Occidentali in Europam advexisse , ceterisque nationibus in memorata obsidione communicasse . Apud enim Indos Occidentales perpetuo viget ille affectus , summaque percipitur ad contrahendum hunc morbum populorum proclivitas . Ipsum hunc affectum afferunt esse ad priscorum elephantiasim , nec ignotum fuisse Hippocrati , Avicennæ , ac Moysi , a quibus descri-

(1) 4. Simpl. Cap. 16.

scriptus esse videtur. Decimo autem quinto , ac sexto sæculo venerea lues per Europam valde propagata est . Sive vermiculi in sanguinem introducti venereæ luis causa sint , sive acerrimum sit principium , cui nonnulli tantam vim tribuerunt , ut acidis mineralibus corrosivis , nempe spiritui nitri , & vitrioli , & aquæ regiæ comparaverint , sive sit frigida uterina lympha , peculiarem quandam acrimoniam evehens , ut ducta analogia ex symptomatibus veneni Apis , nempe ex partium rubefacta cuti , intumescentia , molesto pruritu , & lancinante dolore , aliis concludendum in primis videbatur ; tum vermiculis , tum acrimoniæ maximæ , quæ acutidentis , sive spiculi vices gerit , ut ab urethra effluxus sanguinis aperte ostendit , præsertim summa dulcedine Mel contrarium est , & sane magnam vim Mellis ad dulcificandum eleganti carmine expressit Virgilius (i).

Hinc cœli tempore certo
Dulcia Mella premes , nec tantum
dulcia , quantum
Et liquida , & durum Bacchi domatura saporem .

C

Hæc

(i) Georgicon Lib. iv.

Hæc optime vertit doctissimus Annibal Carus.

*Quinci in certa
Stagion premer il Mel dolce potrai,
Nè tanto però dolce, quanto ancora
Liquido, ed atto a tor l' asprezza a quale
Via più si fuisse duro vino, ed agro.*

Clarissimus Redi, rejecta veterum falsa sententia, esse dulcia vermibus inimica, jamdiu factis experimentis, palam fecit. Præterea venereo viro ita inertis, & viscido, ut modo ab aere, modo ab humore lymphatico suppeditato semper egeat vehiculo, ut transferatur, hæreat autem, ubi nullum invenit, & ideo solidis semper in partibus, etiam magna penetrandi, detergendique vi efficacissimum Mel opponitur, de quo Dominus Robertus James merito sic loquitur (1). E' poi il Mele assai penetrante, e detergente, ed è perciò buono in tutte le ostruzioni, e per quelle spezialmente prodotte da umori tenaci, e viscosi. Quando il petto è pieno, e carico di materie, è il Mele molto gioevole, e promove l'espettorazione. In somma non vi è male, che nasca dalla flemma, o che sia l' effetto d' una komplessione fredda,

per

(1) In ejus Pharmacopœa ex Anglica lingua in Italiam versa N. 303.

DISSERTATIO.

19

per cui non sia proprio; ma non è buono per quelli, che sono gracili, e caldi. Giova moltissimo a coloro, i quali la mattina si sentono incommodati da flemma tenace, e viscosa, che non possono cavar fuora senza difficoltà, e per tal effetto si può mangiare la sera disteso sul pane brustolato, oppure sciolto in qualche liquore tepido. Alcuni affermano, che bevuto col latte distrugge i vermi. È stato già in uso nella Chirurgia per nettare le ulceri pytride, applicandovi perciò il Mele, oppure il liquore, in cui esso sia stato dissolto. Et sane non solum sordes detergit Mel, sed etiam putredini insigniter resistit; idcirco, eti⁹ omnibus septicis causis, etiam septico venereo viro, idest putrefacienti, ut gonorrhœæ jam testantur, mirum in modum opponitur. Babylonii corpora mortua olim in Melle sepeliebant, ut refert Dionysius Areopagita. Cujusdam Appii, qui recentes carnes in Melle diu conservabat, Joseph Donzelli meminit. Græcorum temporibus multa medicamenta Melle condiebantur; nam simplicia a putredine defendendi Mellii facultas inest. Hæc verba, ni fallor, in Mesue legisse memini: Persica, poma, pyra in Melle sepulta, in capite anni reperiuntur recentia & illæta,

C 2 ac

ac si tunc ab arbore colligerentur . An
igitur jure arguendus erit ille , qui me-
moratis a Joanne Pringle antisepticis , id-
est myrrhæ , camphoræ , serpentariæ , flo-
ribus chamæmeli , & chinæ chinæ Mel
optimum anteponat ? Ut etiam Mellis an-
tiseptica facultas eluceat , ex quodam Com-
mentario (1) hæc ad unguem transcripsi .

„ In hoc quasi experimentorum cursu Bec-
„ carium citius dactylorum copia defecit ,
„ quam desiderium ; etenim cum diutur-
„ nitatem tantam nondum in his phos-
„ phoris comperisset , quantam sibi in ani-
„ mo proposuerat ; voluisse , si plures ha-
„ buisset dactylos , condimenta alia exper-
„ riri , quæ & illorum corpora ad lon-
„ gissimum temporis spatium conserva-
„ rent , & potentiam lucis non tollerent .
„ Inter cetera rapiebat illum memoria
„ Mellis ; legerat quippe , animantium cor-
„ pora , ac præsertim purpurarum carnes ,
„ floremque multo condita Melle , fuisse
„ veteribus quam diutissime conservata ;
„ nam Plutarchus ad centum annos inte-

(1) De Bononiensi Scientiarum , & Artium In-
stituto , atque Academia Commentarii . Tom. se-
cund. Pars prima n. 172.

DISSERTATIO.

21

„ gra fuisse affirmat , ad plurimos qui-
„ dem certe Vitruvius . Sperabat ergo Bec-
„ carius , si dactylos habuisset , quos Mel-
„ le condiret , eum se phosphorum para-
„ re posse , qui servaretur ad posteros .
„ Spem tantam sustulit dactylorum ino-
„ pia . (1) Post commentariolum composi-
„ tum dactylos alios nactus , hos Melle
„ condivit ; neque interim ad pastillos suos ,
„ aliasque dactylos , qua sale imbutos ,
„ exsiccatosque , qua exsiccatos tantum
„ redire desistebat . Ac cum hæc exscri-
„ plissem , & prope jam typis mandarem ,
„ quid his omnibus fuisset , nos monuit .
„ Dactylos in Melle per annum servave-
„ rat integros , & sine noxa . Singulis men-
„ sibus pastillos , dactylosque alias ad ex-
„ perimentum revocaverat . His sensim
„ lux minui visa fuerat , & ad brevius
„ tempus in menses singulos constare .
„ Sextus tandem mensis omnem nitendi
„ vim sustulerat . Non sic illis accidit ,
„ quos Mel conservaverat . Hi enim cum
„ jam annum in Melle fuissent , si in a-
„ quam calidam inijcerentur , tantam ef-
„ fundebant lucem , ut integris , & recens
„ audiori at menses in e mari

(1). Num. 173.

„ e mari advectis nihil fere cederent .
 „ Quam tantam facultatem non illi ta-
 „ men retinuerunt , qui , cum Mel in vas-
 „ culo ligneo (in ligneo quippe vasculo
 „ adservabantur) propter æstatis calores
 „ se contraxisset , super extantes madere
 „ desierunt . Hi crustam traxerunt quasi
 „ faccharo conditam . Horum ergo alii
 „ lucem habuerunt nullam , alii aliquam ,
 „ sed certe non tantam , ut possent cum
 „ illis , quos undique complexum Mel
 „ fuerat , comparari . Sic Mel diurni-
 „ tatis , quam adhuc Beccarius deside-
 „ rat , spem auxit . andiamo sic biup
 Singula principia Mel componentia adeo
 minima sejunctim sunt , ut nudos oculos
 prorsus effugiant ; hinc est , quod nemo vi-
 ventium unquam conquestus fuerit , licet
 prævigiles Apes , ubique locorum fures
 ex innumerabilibus herbis , & plantis me-
 liora eripere consueverint , quam quidem
 artem si stolidi latrones nostrorum tempo-
 rum haberent , ubique meliora impune fu-
 rari possent , nec unquam furti accusaren-
 tur . Ex hoc etiam igitur bil , quia varia
 principia ipsum Mel componentia adeo
 exigua sunt , ut seorsim in floribus di-
 scerni non possint , ad subeunda capitla-
 ria

ria vascula , & minima fibrarum interstitia aptissima sunt , ut in iis latens minima mole virus perfecte corrigatur , & sane multiformi venereæ causæ , nonnisi multiformi remedio , & quidem mole proportionato erat occurrentum . En igitur præsto solum Mel , Mel , inquam , tenuissima esca , omnium vegetabilium optima , & dulci sapore jucundissima , pro minima vita ab infortuniis defendenda sedulo innumerabilium multitudine Apium labore exquisita , & a succosis omnium herbarum , plantarumque floribus diligentissime collecta , optimarum qualitatum aggeries , quibus tot diversi effectus mirum in modum producuntur , remanente hominibus ; & brutis longe inferiori alimento . Sed dolendum sane est , quod plurium medicorum ignorantia Mel pro clysteribus tantum præscribatur , quasi vero ignobili dumtaxat usu hominibus datum esset , cum ob miram præstantiam ad potiores effectus frequentius ore sumi mereatur ; nam præter detergendi , & tenui oleo lubricandi virtutem , alias sane multas habet vires , nimirum impotentes ad venerem erigit , boni seminis copiam creat , frigidas partes sovet , minimas

nimas vias aperit , humorum visciditatem blande incidit , & corruptioni insig-
gniter adversatur , ut propterea ad vene-
ream luem edomandam mirum in mo-
dum efficax sit , & nulli pharmacopola-
rum extracto ne minimum quidem com-
parandum ; nam in omnibus illis natu-
ræ principia per ignem partim destructa ,
partim omnino immutata sunt ; in eo au-
tem , quæ natura produxit , incolumia ,
& perfecta prorsus invenies ; eo tamen di-
scrimine , quod , quæ natura diversis fi-
nibus intenta per inumeros flores sparsim
diffudit , ea Apes in unum præstantissi-
ma arte collegerunt . In tanto autem mu-
nere adhuc ne meliora repudiandi , de-
teriora vero sequendi heu nimis pravus
mos vigebit ? O vos , quotquot estis ho-
mines æstuantes libidine sine lege vagante ,
crudelium tandem poenarum vi con-
torquendi , si increduli minime experiamini ,
quid valeat optimum Mel , ac si
ego pretiosas margaritas ante sues projec-
sem . Mihi animadvertissem superest , Mel
purum esse oportere ; illud enim , quod
secundario ab universa massa exprimitur ,
minime idoneum est . Nam principiis a
Mellis substantia alienis inficitur . Seliga-
tur

DISSERTATIO. 25

tur ergo , quod e cereis cellulis sensim exstillat , quod vulgo *Mel vergine* appellatur . Lento igne hoc purius pharmaco-polæ reddunt , & Mellis despumati nomine inscribunt , quod quidem faustissimum eventum refert , quamquam , nonnullis exilioribus principiis igne diffatis , & etiam multa aqua evaporata , calidius , & minus efficax sit , & ideo frigida tempestate longior usus postulatur . Ne integro quidem die ab impuro coitu neglecto , hac methodo Mel capiatur , nimirum duo mediocria Mellis despumati cochlearia , jejuno ventriculo , mane sumantur ; deinde lib. 1. tincturæ herbæ thè , aut tepida ad libitum aqua superbibatur , tertium cochlear hora somni capiatur , nec aliquid superbibere refert . Ita mane , & vespere continuanda dosis est , donec septem dierum spatio lib. 1. ceperis . Postea alteram libram aggredere , sed duo cochlearia mane tantum sumas , donec dierum progressu consumperis omnino . Si ea non sufficiunt , eodem ordine , etiam tertia , quarta libra sumi poterit . Nam Mel ita naturæ congruum est , ut tenerrimi infantes , rejetis omnibus aliis , non nisi mellea qua-

D lita-

litate cibis delectentur , & gaudeant . A consueto victu recedere non est necesse , dummodo a mero abstineas , & tepidæ jam memoratæ potiones frequenter in usu sint . Verum hic præmonendum est , Mel citius , & tutius operari , antequam venerea lues manifestetur , quam ipsa jam manifestata . Initio enim causam sin otiosam , saltem minimos effectus producentem facile corrigit , sed temporis progressu , sive mora , sive sua instar fermenti natura , occulto semper modo virus multiplicatur , & suis valde viribus auctum , tandem fluidis , & solidis partibus potius esse inexpectato ostendit , & tunc contra magnam causam diuturnus Mellis usus , sublata jam febri , requiritur , ut propositus finis obtineatur . Undenam igitur , ut multi practicæ medicinæ magistri adversus me insurgant , qui potissimum Mellis vim in septicas causas minime observarunt ? Non aliunde profecto , quam quia occasio præceps semper neglecta fuit , illud nempe tempus agendi , & auxilia administrandi , quod propter materiæ fluxilitatem , & facilem mutationem citissime præterlabi consuevit , ideoque in primo etiam pronosticorum hæc verba exa-

ra-

DISSERTATIO. 27

ravit Hippocrates : volat occasio , ut alii moriantur , priusquam medicum vocent , alii , accersito medico , derepente e vita discedunt : quinimmo tantam vim præcipiti occasioni ipsemet Hippocrates tribuit , ut in libro de arte afferat , omnem morbum curari posse , si eam medicus arripiat . Etsi in omnibus igitur , præsertim adversus venereum luem occasio præceps attendenda est . Nam venereum virus quamvis malignum sit , non adeo tamen malignum est , ut nocendi omnem omnino vim initio celet ; nam cum sit acre natura sua , statim , ac impuro coitu suscepitum est , summam urethram minimum in modum erodit . Ideo cum impuro ab hinc coitu prima vice minges , levissimum dolorem senties , quem instar rei nullius mali ominis omnes homines incauti negligunt , sed est primarium susceptæ luis signum , quod initio semper manifestatur , quemadmodum frequentia pulsus , quotiescumque febris accenditur . Quando igitur virus septicum est in limine , ut in mingendo levissimus urethræ dolor , nec non apyreticus pulsus testatur , si exposito jam modo Mel optimum capias , ipsum quasi miraculo operari tandem doctus experien-

D 2 tia

tia fateberis. Verum hic ingenue fatendum est, usui Mellis mechanicum præsidium fere statim post coitum aliquando fuisse præmissum, quod labiis tanquam ad sigillum pressis tacitus prætereo, ne ad peccandum sine noxa millenis hominibus incitamento sim; eo quippe respexit, ut lymphatica vasa exonerata fuerint, ne mali viri vehiculum supereflet. Postea penis, & vicinæ partes diligenter vino Iota, diligenterque tersa fuerunt. Deficiente vino, aqua, aut urina pro commodo substituta fuit. Interim moneo antisепticam Mellis facultatem angustis limitibus minime coercendam esse. Ex hoc tamen in Melle adeo fidendum esse non putas, ut mira quoque præstet, etiamsi gangræna supervenerit; tunc enim pars motus, & sensus expers, frigida, & penitus putrefacta reparari nullo modo poterit, immo abscindi indigebit, ne sanis aliis partibus obsit. Igitur Mel optimum in principio semper exhibeat, quando scilicet atra pars in gangrænam abire minatur, sed adhuc sensu prædita est, ut leví stimulo periculum fieri potest; tunc enim (dummodo non obstat febris, qua, aucto sanguinis motu, calidi Mellis usus

in-

DISSERTATIO. 29

interdicitur) fluidas , solidasque partes
restaurabit optime . Nam plastica , hoc
est formatrix facultas Melli indita est .
Ad prophylaxin , hoc est ad prævitandam
phthisin , quæ , docente magno Hippocrate (i) , maxime fit ætatibus ab anno o-
ctavo decimo , usque ad quintum trigesimum ; tunc enim adolescentes , & juve-
nes , quos juxta præceptum ejusdem Hip-
pocratis oporteret nunquam satiari cibis ,
& impigros esse ad laborem , sæpiissime plu-
rimo se se ingurgitant alimento , & turpi
otio libenter indulgent , propterea infir-
matus fibrarum tonus exuberantem cibi
copiam digerere non valet , quæ quidem
in ventriculo plus debito detenta corrum-
pitur , & ideo depravatur chymus , po-
stea chylus , & sanguis depravatur , &
solidæ demum partes labefactantur ; jam ,
inquam , ad prævitandam phthisin Mel
sane aptissimum est ; nam leniter purgati-
va vi supervacanea dejicit , & antiseptica
facultate ad putredinem proclivia optime
corrigit , nec non in quascumque septicas
causas ad sustinendas vitales vires pro in-
corrumpibili cibo inservit , & propterea

D etiam

(i) Aphor. ix. Lib. v.

etiam ad prævitandam tabem, quæ sanguinis sputo succedit (jam præhabita, & si opus fuerit, repetita sanguinis missione, & adstringentium ope consolidatis vasis, penitusque sublata febri) magnopere commendatur, & sane mira præsttit. Sapientis medici consilio, Dominus Joseph Macchiavelli post hæmoptoe adeo salubre Mel expertus est, ut semper vegeta valetudine gavisus fuerit. Bononiæ testis est pharmacopola Sanctæ Mariæ de Vita, Paulus nempe Andreas Parenti, sane vir ob maximam in arte peritiam, ac tyronibus utilia ob documenta, a quo ille triginta Mellis libras, & amplius sibi emit. In quibuscumque morbis, qui in suppurationem jam transierunt, postquam acuta febris, ultra quadragesimum diem producta, in chronicam mutata est, ut febrilis æstus quasi omnino extinctus videatur, jure Mel optimum, licet natura sua calidum sit, pro medicamento, & cibo prescribitur, & medicum sane necessitas urget. Nam septicæ quæcumque causæ vulgare alimentum facile corrumpunt, & nisi vitales vires incorruptibili sustineantur, magis in dies deprimentur. Dominus Nicolaus Lemery e Regia Scientia-

DISSERTATIO. 31

tiarum Parisiensi Academia de Melle ita loquitur (1). Fra le buone qualità del Melle, egli è riconosciuto un alimento, ed un rimedio per coloro, il temperamento de' quali sia stato attenuato da un digiuno straordinario, e troppo lungo: noi ne veggiamo altresì degli effetti salubri nel principio della tisichezza, nel marasma, e nell' altre malattie di consumazione, purchè sia preso a proposito entro a liquori appropriati, dopo aver fatti i rimedi generali. Etiam Aurelius Cornelius Celsus pro tabidis inter cetera Mel proponit (2). Hic tamen monendum est, magno humorum, & solidarum partium vitio, ut assidua febris, & interrupti crebro somni testantur, septicum morbi formitem per universam sanguinis massam, & nerveum succum diffusum esse, non nisi diuturnum Mellis usum convenire, & ideo fieri non posse, quin protracto calidi Mellis usu (tunc enim est deſtendum) febricula crescat, quam in primis sistere si china chinæ datum esset, postea quamvis magna labes solo, & simplici Melle reabilitaretur de illa eisdem scilicet corporibus, omni tunc tamen mutatio in aliis.

(1) In eius Dictionario ex Gallica lingua in Itam verso N. 217.

(2) Cap. xxii. Lib. iii. Tom. i.

pararetur. Ne igitur Mel tamquam inef-
ficax inculpetur, cum solus ipse inertiae
condemnandus sis, jam neglecta occasione
præcipiti; eo tempore, quo abest febris
(initio enim semper abest in morbis fri-
gidis) tuto Mel præscribendum est, &
sane quid sua efficacia possit, ex felici
postea eventu cognoscet.

Abusus. Abundante saccharo, moderni
rem gratissimam gustui facturi, in omnes
ferme syrups illud introduxerunt, & in
Galeni diamoron, in theriacam Andro-
machi, & omnia electuaria quoque intro-
duxissent, nisi quædam venerandis medi-
cinæ patribus hærendi necessitas novis
rebus studentes cohibusset, serio minime
considerantes, quod, si, rejecto saccharo,
Mel pro omnibus syrupis, nec non aliis
conficiendis adliberetur, omnium optimæ
qualitates, & quidem plurimi facienda
pro hominum salute, iis simplicibus resti-
tuerentur, quibus innumerabiles multitu-
dine Apes omnino furatae sunt. Sed ne-
scio quonam fato nostrorum temporum me-
dici non satis habeant, ut ab antidotariis
exulet, quantum fieri potuit; immo, si fert
necessitas, ut efficacissimum, & perjucun-
dum Mel præscribant, ingrato oleo mi-
scent,

DISSERTATIO. 33

scent, quod re vera tum ipsum Mel ad agendum minus idoneum reddit, tum quosdam ægros ita nausea afficit, ut postea a reassumenda quamvis exigua dosi penitus abhorreant. Præterea mos eorum, qui semper uberi cum vehiculo capiendum Mel præscribunt, minime probandus est. Nam ita fibrarum tonus interdum laxatur, ut in profluvium solvatur alvus. Quandoque igitur sine ullo extraneo vehiculo Mel capere magis confert, quoniam in se levissimum semper habet, quod divinæ Apes e salubrioribus rivis hauserunt.

Frequentius antiquis temporibus, quam nostris, antequam scilicet adeo familiare saccharum evasisset, frequentius, inquam, Mel in cibum obtinuit locum. Nam veteres valde salutiferum, uti revera est, experiebantur. Supracitato loco jam memoratus Lemery Mel supra saccharum ita extollit: *Del resto, benchè l'uso del zuccherò abbia quasi abolito quello del Mele, principalmente negli alimenti; il Mele però è ben spesso da preferirsi al zuccherò, quando non si pensi affatto alla delicatezza del gusto, imperocchè, otrechè egli è un' unione della sostanza più pura, e più eterea d'infiniti fiori, che posseggono gran*

vir-

virtù, egli è più pettorale, e più anodino del
 zucchero, il quale non è, che un sugo denso
 della sola canna. Etiam Dominus Robertus
 James Mel supra saccharum his verbis ex-
 tollit (1). Anticamente se ne faceva uso,
 come oggidì si fa dello zucchero, e a dir ve-
 ro, merita d' esser più usato di quello,
 che è. Corsos diuturnam egisse vitam
 Athenæus narrat, quia ipsis Mel in usu
 erat. Interrogatus philosophus quidam se-
 nex, quomodo se usque ad majorem illam
 ætatem conservaret, respondit: *intus Mel-
 le, foris oleo.* Mel igne tentatum, præter
 cetera, suum quoque oleum exhibit, quod
 simplicissimæ ejus aquæ connubium cito
 refugeret, sed mediante sale, ea inter se
 adeo arcte vinciuntur, ut ne analysis qui-
 dem chemica omnino sejungat, & potis-
 simæ causæ sunt, quæ ad diu vivendum
 magnopere conferunt. Nam molles fibras
 diu conservant, ne tam facile rigiditatem
 ineant, & impediunt, ne citius quam par-
 est, vasorum orificia claudantur, per quæ
 diutius nutrimentum recipitur, & molli-
 bus

(1) In ejus Pharmacopœa ex Anglica lingua in
Italam versa N. 303.

DISSERTATIO. 35

bus partibus applicitum retinetur. Id videre est in arboribus , quæ prope rivos , sive pinguibus in terris longius crescunt , & serius senescunt , quam ceteræ arbores macris in terris , procul a rivis consistæ . Sic larices plurimo oleo affluentes mira mole in trinam dimensionem expanduntur , & diutissime vivunt . Tu vero Alchymista , qui non solum ob ignobilia metalla in aurum vertenda , sed etiam ad reparandas vires , & longævam vitam ducendam philosophorum lapidem quæris , atque , cum e fœtidissimis excrementis idoneum idcirco menstruum educere non possis , dolens super ea crebro suspiras , & altis meditationibus mentem defatigas , desine , pace tua , improbo labore manus frustra conterere , & fumo faciem frustra denigrare , & arcanis chartis frustra impallescere , majorumque natu hominum . quorum facta imitaris , deplorandum exitum perhorre scē . Somniatum auri semen , quod nec digeri , nec in nutrimentum facessere sua duritate unquam posset , quod in ignem injectum , instar lapidis , ut fertur , resistit , ex quo denominatio orta est , ecquis sanæ mentis ad reparandas vires , & longævam vitam ducendam ineptum esse non

vi-

videt? Ego vero ad id munus omnium vegetabilium optimam, purissimamque substantiam, & tibi, & quibuscumque ponam; Mel nimurum, illud nectar liquidum, terræ Regibus dignum, ideoque tibi minime despiciendum, quem e regali genere audivimus esse. Utinam homines rustici, quibus ratiocinando assequi minime datum est, quid sit Mel, saltem ruditer experiundo cognoscerent, quantas vires maxima ejus virtus habeat; illos, spectata virtute, & ceræ, & quibuscumque terræ fructibus maximo pretio ipsum esse prælaturos certus sum; ipsi tamen, quos ignorantia in perpetuum fefellit, illud jam negligere consueverunt, ac si & cera, & quibuscumque terræ fructibus longe inferius esset; quoniam præter nomen, & ejus dulcedinem, nihil aliud de Melle comptum habent. Mirum mihi sane non videretur, si ego rusticum hominem, qui ligna amputare, & in stru posita vincire a pueritia assuetus fuit, preciosos lapides, tanquam vulgaria saxa neglexisse intelligerem.

F I N I S.



UVIA. BHSC. LEG. 04-1 n° 0284

35 DE MELISSÆ

propter hanc esse et leviter ad modum
venerabilem optinere. quia in scriptis suis
dicitur. Et hoc de ceteris cunctis pro-
priae. Atque in scriptis. Quia hanc lege
dicitur. ut Regibus ceteris. feras. et ali-
bi. non possint habere. quia in eis
generatim est. sed. Hoc non potest
possit. quia reges. rati. sicut etiam
fetas. non possunt. quia in eis. feras. Tunc
admodum. quod dicitur. quod
potest. ut Regibus. et ceteris. de ceteris
que non possunt. sed. Hoc non potest
possit. quia reges. rati. sicut etiam
fetas. non possunt. quia in eis. feras.

VVA. BHSC. LEG. 04-1 n° 0284

UVA. BHSC. LEG. 04-1 n° 0284